

strorum sit contemptor, in vita pius, erga omnes prudens & humanus, in verbis vero cautus, praesertim ad diagnoseos vel prognoseos errores evitandos, gravis & parcus; (2) in officio suo peragendo promptus, quoad morborum practicum tractationem circumspectus ac diligens quidem, sed ad vulgatum, istud: *ne quid nimis*, & ad propriam suam existimationem conservandam, attentus, ne Ars vilescat, vel Medicus aliorum ludibrio se exponat, officiumque Medici in servitium aut proxenetæ mutetur, caveat. (3) Medicus nec timidus nec tumidus sit, ab omni superbia, temeritate, vana pollicitatione, aut praesudicio sit alienus, probeque memor; *hominum salutem ipsi ad conservandum, non vero perimendum concreditam esse*. (4) Multum quidem utilitatis, in diagnoscendis & curandis morbis, Medico adferre potest, si ipse in proprio corpore, morbis etiam gravioribus, subinde tentetur (hoc tamen nullo temerario sensu intelligendum,): eo tamen adnitatur, ut bona corporis gaudeat valetudine, ne ipsi: *Medice cura te ipsum!* obganniat. (5) Corporis & vestitus munditiei quidem studeat, vestituque utatur decoro & honesto, sed sine fastu. (6) Ab omni luxurie, ebrietate, scortatione &c. tam verbis quam rebus, abstineat, & quoad temperantiam in his, vir sit ubique bonæ conscientiae, famæque. (7) Medicus ab avaritia (k) quidem sit alienus, Praxique clinicæ magis indulgeat quam lucrosæ, sed præmium laborum honestum, a gratis accipiat divitibus, ab avaris vero, in ævo hoc erga Medicos ingrato, modo in multis Germaniæ locis recepto, exigat, pauperibus vero & amicis gratis lubensque inserviat. (8) Morbis vel deploratis vel suspectis, simul occultatis laborantibus, vel pertinaciter refractariis, contemptoribus Medicorum; vel istiusmodi malevolis, qui in perniciem vel verorum Medicorum contemptum, sine justa

causa,

(k) Wedel. de composit medicamentor.